

**1304-1304- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Tholosam Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Acta capituli generalis apud Tholosam  
celebrati anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · III<sup>o</sup> ·

Confirmamus has constituciones. In capitulo de graviore culpa. ubi dicitur. nec notetur ad aliquod officium. nec ulla ei committatur obediencia. addatur. nec vocem habeat nisi in sua accusacione. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc. In capitulo de apostatis. in fine addatur. nec possit habere officium prioratus. subprioratus. vel lectoratus. sine magistri ordinis licencia speciali. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc. In capitulo de studentibus. ubi dicitur. sex autem provincie. deleatur. et dicatur sic. quelibet autem provincia exceptis Dacie. Grecie et Terre sancte. provideat. ut semper in aliquo conventu ydoneo sit generale studium et sollempne. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc. In capitulo de silencio. ubi dicitur. Prior tamen provincialis etc. deleatur totum usque ibi. si quis autem etc. et dicatur sic. prior tamen provincialis absente magistro ordinis. fratribus secum comedentibus. in sua dum; at provincia. possit dare licenciam loquendi. in alia autem provincia; tantum uni. Et hec habet · ii · capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc. In capitulo de studentibus. ubi dicitur. seculares ciencias non addiscant. post illud. vel prior provincialis. addatur. vel capitulum provinciale.

Item hanc. In capitulo de capitulo generali. ubi dicitur. priori provinciali eunti ad capitulum generale detur socius a diffinitoribus provincialis capituli. addatur. qui in anno provincialium. priore provinciali suo a dicto capitulo absente. debeat cum magistro et provincialibus diffinire. Talis autem semper in socium assignetur qui precedenti anno non fuerit generalis capituli diffinitor. qui si diffinierit; in diffinitorem generalis capituli eligi non valeat anno sequenti. Dictus autem socius ubique in choro sue provincie post provinciales omnes teneat locum suum<sup>1</sup>.

Item hanc. In capitulo de sollempni celebracione capituli. ubi dicitur. necessitate vero urgente. etc. magister ordinis etc. in fine addatur et dicatur sic. Quod si in eadem provincia commode celebrari non valeat eodem anno generale capitulum. magister ordinis vel eius vices gerens. ipso mortuo vel amoto. dictum capitulum ad aliam provinciam mutare poterit. si expediens iudicaverit de consilio discretorum.

Item hanc. In capitulo de silencio. ubi dicitur. omnes fratres ubique intus et extra. etc. post illud. et tunc ipse taceat. addatur. exceptis magistris in theologia<sup>2</sup>. prior tamen conventualis possit licenciare unum de secum comedentibus ad loquendum. Si vero plures priores conventuales simul comedere contigerit; prior antiquioris conventus loquatur. et uni loquendi licenciam dare possit.

Item hanc. In capitulo de electione magistri. ubi dicitur. Saxonie. deleatur. Saxonie. et dicatur. Theutonie inferioris.

Item hanc. In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis. ubi dicitur. Saxonie. deleatur Saxonie. et dicatur. Theutonie inferioris.

Item hanc. In capitulo de studentibus. ubi dicitur. Saxonie. deleatur. Saxonie. et dicatur. Theutonie inferioris.

Item hanc. In eodem capitulo. ubi dicitur. Saxonie. deleatur. Saxonie. et dicatur. Theutonie inferioris.

Item hanc. In ordinario in rubrica de festo toto duplici. ubi dicitur. festum totum duplex fiat etc. post illud. que in calendariis sunt notata. addatur et dicatur sic. feria · v · infra octavas trinitatis fiat festum totum duplex de corpore Christi. sicut summus pontifex ordinavit. quod si dictum festum in translacione beati Dominici venire contingat; ad sequentem feriam transferatur.

Item hanc. In eodem ordinario in rubrica. de turificacione. ubi dicitur. Si epdomadarius vel aliquis prelati. etc. post illud. capa serica. addatur. excepto dumtaxat cum magister ordinis vel prior provincialis fuerit in dextro choro. tunc enim ille qui facit officium ipsis deferens ad sedem subprioris transeat in sinistram.

Iste sunt admoniciones et ordinationes.

Indigencie fratrum qui generalibus studiis deputantur subvenire volentes. volumus et ordinamus. ut singule provincie debeant studentibus. quos mittunt ad studia generalia extra provinciam annis singulis de vestibus providere.

<sup>1</sup> "In choro sue provincie". Singularum provinciarum rectoribus aut diffinitoribus in capitulo generali certus ordo considendi in perpetuum assignatus fuerat a dextris vel a sinistris magistri ordinis, qui medius praesidebat. Provinciales aut diffinitores a dextris eius considerentes locum IN CHORO DEXTRO, a sinistris autem locum IN CHORO SINISTRO obtinere dicebantur. Suprascripta porro inchoatione iubetur socius prioris provincialis absentis a dextris vel a sinistris sedere, prout sedisset ipse provincialis, si adfuisset, tamen post omnes provinciales. Vide primas inchoaciones capituli generalis anno 1305 celebrati.

Item. Districte iniungimus prioribus ac eorum vicariis. ut cuilibet fratri indigenti secundum iudicium trium fratrum antiquiorum de conventu. saltem de una veste quolibet anno studeant providere. quod si non fecerint; per provinciales et eorum vicarios in penam a suis officiis absolvantur. quodque visitatores anni illius. in hoc delinquentes provinciali capitulo studeant nunciare.

Item. Cum ex ignorantia actorum tam generalium quam provincialium capitulorum defectus multi proveniant. mandamus districte. quod socii priorum provincialium et diffinitorum pro tempore portent acta capituli generalis ad suas provincias integra. et socii priorum conventualium ad suos conventus deferant acta tam generalis quam provincialis capituli integra; et subpriors conventuales ipsorum admoniciones et ordinationes scribi faciant in quaterno ad hoc specialiter deputato. Quod si infra duos menses ad suas provincias vel conventus non portaverint seu miserint.

per triennium non possint in socios provincialium. seu priorum assumi.

Item. Inhibemus districte. ne subpriors in socios priorum eligantur. qui autem elegerint vel nominaverint deinceps. sint illo anno in tractatu eorum que ad capitulum sunt mittenda. omni voce privati; excepto illo conventu. in quo deberet generale vel provinciale capitulum celebrari.

Item. Ordinamus et mandamus inviolabiliter observari. quod magister studencium in studiis generalibus fiat per illos de quibus in precedenti capitulo extitit ordinatum. ita tamen quod uno anno sit de provincia. in qua est studium; alio vero. de extraneis provinciis quibuscumque. qui per eos melior et ad illud officium magis idoneus fuerit iudicatus<sup>1</sup>.

Item. Ordinationem de provisione diffinitorum et sociorum euncium ad capitulum generale factam in precedenti capitulo confirmamus. et volumus quod sollicite observetur. mandantes districte prioribus provincialibus ac eorum vicariis. ut diffinitoribus et electoribus anni presentis de expensis quas fecerunt ad capitulum eundo. et facient redeundo; infra mensem postquam ad suas provincias redierint satis facere secundum ordinationem precedentis capituli generalis non obmittant<sup>2</sup>. Item. Cum contra ordinationem precedentis capituli generalis multum sit relaxatus discursus ad curiam. precipit magister ordinis in virtute obediencie. et spiritus sancti. de provincialium et diffinitorum consensu fratribus universis. quod nullus frater sine magistri ordinis expressa licencia ad curiam accedat<sup>3</sup>.

Item. Rogant priores provinciales et diffinitores magistrum ordinis. quod fratres missos in provinciam Grecie ac Terre sancte. de facili non revocet et missos per easdem provincias ad studia generalia nullo modo de dictis provinciis revocet. nisi per aliquos annos moram contraxerint in eisdem.

Item. Cum receperimus querimonias multas. quod priores ex levi causa se a suis capitulis provincialibus subtraxerint. iniungimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium. ut taliter in hoc delinquentes puniant. quod deinceps sine sufficienti causa non audeant remanere.

Declaramus. quod nullus potest dare licenciam veniendi ad capitulum generale nisi magister ordinis. et provincialis in cuius provincia fuerit capitulum celebrandum fratribus sue provincie. Et ideo magister ordinis inhibet. quod nullus provincialis vel diffinitor vel quicumque alius frater quocumque pretextu det alicui licenciam ad generale capitulum veniendi. volens et statuens. quod qui deinceps cum tali licencia venire ausi fuerint. incurrant penam quam incurrunt sine licencia venientes.

Iste sunt penitencie.

Denunciamus fratres omnes. qui ad presens capitulum generale absque licencia venerunt. ex ordinatione precedentis immediate generalis capituli per biennium omni voce privatos. quam ordinationem volumus eciam in sequenti anno servari<sup>1</sup>.

Item. Cum multi diffinitores et electores se absentaverint hoc anno a capitulo generali. imponimus cuilibet eorum · v · dies in pane et aqua. et districte iniungimus. quod indispensabiliter eos faciant infra duos menses. postquam hec penitencia ad eorum noticiam venerit.

Item. Cum fratribus euntibus ad gentes per magistrum ordinis sit concessum. quod possint aliquos fratres ydoneos nostri ordinis ad suam societatem assumere. magister ordinis declarat. provincias Grecie et Terre sancte quoad hoc inter ceteras provincias non includi. nec posse deinceps aliquem fratrem de duabus dictis provinciis pretextu quarumcumque litterarum hactenus concessarum assumi.

Item. Absolvimus omnes predicatores generales provincie Romane a capitulo Tudertino citra inclusive in illa provincia institutos.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales. Romane provincie fr. Hugo. Terre sancte Bernardus. Boemie fr. Egidius. et provincie Tholosane G. Petri de Godino. quia mittimus ipsum Parisius pro magisterio presentandum [ille vero nomine GERALDI].

Item. Conventuales Lemovicensem. Petragoricensem. Orthesiensem. Montis Albani et sancti Severi. Et nolumus. quod priores hoc anno absoluti in eisdem provinciis vel conventibus isto anno resumantur. Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre nostro domino Benedicto papa · xi · et bono statu universalis ecclesie; quilibet sacerdos · xii · missas. et quilibet conventus unam missam conventualem qualibet septimana. et post letaniam dicta oracione. ecclesie. dicatur. oracio. deus omnium fidelium pastor etc.

Item. Pro venerabili patre fratre Nycholao de Prato Hostiensi et Velletrensi episcopo; quilibet sacerdos · iiiior · missas [Fr. Nicolaus Alberti de Prato prom. 1303 dec. 18; † Avinione die 1 april. 1321. EUBEL l.c.p. 13].

Pro domino rege Francie et regina · iiiii · missas.

Pro rege Anglie et regina · iiiii · missas etc.

Summa pro vivis · lxx ·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domino Bonifacio papa · viii<sup>o</sup> · hoc anno defuncto; quilibet sacerdos · iii · missas [Obiit Bonifacius Romae 1303 oct. 11].

Pro venerabili patre fr. Bernardo de Iuzico. quondam magistro ordinis hoc anno defuncto; quilibet sacerdos · i · missam. preter suffragia que ei ex constitutione debentur<sup>2</sup>. Denunciamus fratribus universis. quod tenentur ad suffragia pro fratre Guillelmo de Magliful diffinitore Anglie. in capitulo Bisuntino. defuncto post ipsum capitulum. antequam ad conventum proprium pervenisset. etc.<sup>2</sup>.

Summa missarum pro defunctis · ix · et pro duabus personis sicut pro fratre defuncto et sic sunt · xv ·

Pro qualibet missa superius posita. quilibet clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania. et quilibet conversus · c · pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania more solito in profestis diebus dicatur preterquam in diebus rogacionum; et pro sanctissimo patre nostro pontifice collecta. deus omnium fidelium pastor et rector. dicatur post oracionem. ecclesie tue. Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium. ut ipse de magistris et bacallariis ordinet et disponat prout utilitati et promocioni studiorum viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Capitulum generale sequens assignamus apud Ianuam in provincia Lombardie superioris. ordinantes. quod diffinitores veniant ad locum capituli dominica infra octavas ascensionis domini. Nullus autem alius. eciamsi licenciam habeat. locum capituli intret ante · vi · feriam vigiliam pentecostes precedentem.

Actis additae sunt litterae papae Benedicti XI. cf. POTTHAST II. n.25389; et litterae magistri ordinis; cf. app. n. LVI.

<sup>2</sup> Fr. Guillelmus Marlesfeld (prom. 1303 die 18 dec. EUBEL l.c.p. 13). De fr. Nicolao de Prato supra laudato et fr. Guillelmo haec Nicolaus noster Trivetius refert: Papa Benedictus fratrem Nicolaum de Prato Episcopum Spoletanum, ad cardinalatum assumens, fecit episcopum Ostiensem: Fratrem etiam Willelmum Makelesfelde, Doctorem sacrae Theologiae Ordinis Praedicatorum, natione Anglicum Dioecesis Conventrens, tituli S. Sabinae fecit Presbyterum Cardinalem, qui antequam ad eum rumor pervenisset, infirmatus et ad extremam horam perductus in Domino obdormivit. D'ACHERY Spicilegium. Parisiis 1723 tom. III p. 229.